

Cap. II.

In hoc Capite meum erit, argumenta nostra, nostrasq; Ex-
ceptiones pro Veritate contra *Φλυαρίας* censorum allata vin-
dicare. Progrediar ergo ad *ἀνασκυήν* sub Art. 1. p. 19. seqq.
a) usi sumus verbis Christi ex *Matth. 13. 12.* inde Niehencki-
us syllogizare vult:

Quibuscunq; DEUS omnem subtrahit gratiam, illorum Conversionem per verbi predicationem non intendit:

Atqvi *Induratis:*

Ergo.

Anteqvam responsionem Niehenckii discutiam plenius, moneo,
Majorem claudicantem egere limitatione, ne calvinizare videatur impe-
ritis.

*Quibuscunq; DEUS omnem subtrahit gratiam, ex absoluto bene-
placito: illorum Conversionem non intendit:*

Sic transeat *Major*: sed *Minorem* Niehenckius probare tenetur.

Respondet autem *negando Minorem*; & nos *addita limitatione*,
eam negamus, cum in loco allegato non intelligatur omnimoda gratie
divinae privatio NB. ex absoluto DEi beneplacito, aut voluntate antece-
dente gratie, sed *consequente*. Obstare vult Niehenckius: Salvatorem
Subjectum ita describere, ut non tantum *Indurati*, sed & alii peccatores in-
telligi queant. &c. p. 19. R. 1.) Ratio rationis est falsissima! Verba enim
illa faciunt ad rem nostram: *Wer aber nicht hat / von dem wird auch
genommen / das Er hat.* Ergo nihil gratie relinquitur. Quod dictum
Hülsemannus in *Brev.* subinde urget; Et per *Consequens Minor* ut a no-
bis formata est, manet vera. Quod idem *Chemnitius*, *Hülsemannus*,
Scherzerus ad locum *Matth. XIII. 12.* commentati sunt. vid. III. *additam.*
Dn. D. Rechenb. contra Dn. D. Krakewitz. Ubi vindicatio Exceptionis,
quæ concernit Subjectum plene reperitur; adeo, ut D. Krakewitz in sua
Duplica nihil Solidi repoierit; ohne daß ers dem Leser nachzudencken
giebt p. 38. Lectorem, credo, si extra studia partium sit positus & mentis
Christianæ compos, magis esse assensurum *Hülsemanno* atq; *Scherzero*,
[quos in mea *ἐπικρίσει* citavi p. 14 potissimum si ipse *συνάφει* textus v. 13.
14. 15 intueatur] quam Niehenckio, qui in studio Hermeneutico adhuc ho-
lipes est.

Resp.